



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Libellus Sodalitatis: Hoc Est: Christianarum Institutionum Libri quinque

Coster, Franciscus

Antverpiæ, 1587

15 De loco inferni.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46553](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46553)

nis, ab impiis, quàm pro gloria sempiterna à
piis suscipiuntur. Igitur qui tanta contentio-
ne ad infernum curris, hic subsiste, obsecro,
paulisper, & quæ sedes inferorum sit, qui ci-
ues, quæ leges, qui mores, ex sacris litteris ac-
cipe: quibus lectis, attentèq. cōsideratis, si pla-
cebit conditio, progredere vt cœpisti: si verò
displicebit, aliam tibi viuendi rationem susci-
piendam esse persuade.

CAPVT XV.

DE LOCO INFERNI.

AGE igitur, qui tibi amplissima ædifi-
cas in hoc mundo palatia, laxas habi-
tationes, loca aprica, hortos camposque
amœnos, vbi degas, spatieris, venationem ex-
erceas, corpùsque & animum recrees; qui do-
mum coniungis domui, & agrum agro copu-
las, qui pro limitibus, & possessionibus pacem
violas, charitatem lædis, & pugnas bellaq. su-
scitas: attende quid de inferorum sedibus scri-
ptura loquatur: *Antequã vadam (inquit Iob) Job 10.*
& non reuertar ad terram tenebrosam, & oper-
tam mortis caligine, terram miserix & tene-
brarum, vbi vmbra mortis, & nullus ordo, sed
sempitern⁹ horror inhabitat. *Isaias verò; Præ- Isaiæ 30.*
parata est, inquit, ab heri Tophet (id est ge-
henna) à Rege præparata: profunda & dilata-
ta: nutrimenta eius ignis, & ligna multa; fla-
tus Domini sicut torrens sulphuris, succendēs
eam. Si, quod est verissimum, tu verū esse cre-
dis, nec iota vnum, nec apicē in scripturis suo

momento carere, admirabiles poteris hic, horribilésq. inferni proprietates mente contueri. Imaginare primò, puteum in maximam altitudinē depressum, atq. adeò ad p̄sas inferorū sedes penetrantē, qualis in Apoc. Diuo Iohanni Ap̄stolo visus fuit; in eum te cogita magno impetu præcipitem dari. Hoc enim peccatoribus omnibus euenturum prædixit idem Apostolus, quando vidit lapidē grandem molarem, ab Angelo forti mitti in mare, & audivit: Hoc impetu mittetur Babylon ciuitas illa magna (hoc est, cœtus omnium iniquorū) & ultra iam non inuenietur. non enim carpento impositus, suauiter eò veheris, sed quemadmodum Dathan & Abyron, horribiliter raptaberis, iactaberis, præcipitaberis.

Secundò, post tam horrendū descensum, & iactationē, cogita Regionem vastam, latam, spatiosam, quæ omnibus illis cōtinendis sufficiat, quotquot in omni memoria fuerunt, sunt, & erunt flagitiosi, & gehenna digni homines. Est porrò regio: illa tenebris & arra caligine horrida, neq. lunæ, neq. solis luce illustrata; nam peccatorē ad inferos deportatum, scribit Propheta, non visurum lumen in æternum, à quibus tenebris infernus nomē inuenit tenebrarū exteriorū: Mittite (ait scriptura) eum in tenebras exteriores: vt qui hactenus mentē habuit internis tenebris obscuratā, iam etiam externis tenebris inuoluatur. Tertio, habent verò tenebræ istæ admixtam caliginem mortis, hoc est, fumum quendam pe-

stilen-

Apoc. 18°

Matt. 22

silentissimum, ita obscurū, vt in Apocalypsi
 visus sit ipsi soli, quasi noctē quandam offun-
 dere, & ita noxium, vt vmbra mortis, & caligo
 mortis, id est, mortifera à Prophetis appelle-
 tur? Quarto, exhalat præterea odorē lōgē gra-
 uissimū, sulphuris, inquā, excrementorū, &
 omnis generis sordīū. Pluet enim super pec- *Psal. 10.*
 catores laqueos, ignis, & sulphur, & spiritus
 procellarum, pars calicis eorū; &, computres- *Ioel. 1.*
 cent iumenta in stercore suo: nam gloria pec- *1. Mac. 2.*
 catoris stercus, & vermis, &, de stercore boum *Ecc. 2. 2.*
 lapidabitur piger. Quinto, tota regio ardet
 igne ad instar fornacis, sed igne tenebricoso,
 qui tantum luminis obscuri præbet, quantum
 ad tormenta videnda, sociosque damnationis
 agnoscendos, sufficiat; igne acerrimo, qui solo
 contactu, montes licet ferreos, puncto tempo-
 ris liquefaciat. Docuit hoc ignis ille Sulphu-
 reus, qui pentapolim totā, hoc est, quinque re-
 gna, breuissimo tēpore absorbit: & ille item *Gen. 19.*
 ignis, qui iussu Helix prophetæ duos quin- *4. Reg. 1.*
 quagenarios, cum quinquaginta suis militi-
 bus, dicto citius interfecit. Sexto, horribilis
 est, & continua tēpestas: spiritus, inquit, pro-
 cellarū: horrenda tonitrua à dæmonibus exci-
 tata: venti vehementes, atq. sulphurei, qui ca-
 lorem succendant: pluuiæ grandīnū instar ta- *Aposcal.*
 lenti, quibus miseri huius ciuitatis incolæ ver-
 berentur. Septimō, cernes in illis locis diuersa
 distinctaq. contubernia, in quibus eorundem
 scelerum participes & affines vna inclusi, in
 perpetuum tenebuntur. Non enim ibi cuique
 P s pro

pro arbitrato vltro citroq. vagari licebit: sed
 quoniam in hac terra plus satis ad animorum
 fuorum voluptates explendas sunt grassari, ibi
 (vt Christus loquitur) in fasciculos colligati,
 eodē loco simul pœnas luēt. Hic superbi om-
 nes, illic auari, alibi ebriosi, & ventris manci-
 pia; alio item in loco libidinosi, alibi alij, suis
 quiq. locis, quæ præter cōmunia torius infer-
 ni mala, peculiare habent, pro conditione de-
 lictorū, afflictiones & pœnas: vt sicut scriptura
 dicit iuxta mensurā peccatorū, sit & plagarū
 modus. Apud superbos cernetur admirabilis
 cōfusio, & deiectio; apud auaros inopia; apud
 gulosos intolerabilis sitis, & fames; in di-
 tione pigrorum, labor sine vlla requie: at-
 que ita de cæteris. Hæc est regionis infero-
 rum geographica descriptio, ex litteris sa-
 cris deducta, quam, si placet, vno delicto
 mortifero potes promereri. Sed heu, quis
 poterit habitare cum igne deuorante, aut cum
 ardorib⁹ sempiternis? Si carceris ciuilis squalo-
 rem ferre nequis: si vna horam vnam potes
 vno loco consistere: si animi & recreationis
 causa, delectat patria exire, exterasque re-
 giones visere, nec in domum tuam te includi
 pateris: quo animo feres tenebras, squalorem,
 fordes, fœtorem, calorem, cruciatum inferni
 sempiternum?

Mat. 13.

Isaie 33.

C A P V T